









1758.

1. Anckelman, Peridom Fidericus, : De herede ab intestato per consensum in testamentum imperfectum bona hereditaria non alienante.
2. Boehmer, Georgus Ludovicus, Vid. juris Dni Prudencius : Christiani Jacobi de Zwicklein . . . solennia inauguralia in diebus praemissa observatione : De cessione hypothecae feudalis absque Domini consensu valida.
3. Felmann, Dr. Christian Gottl. : De privilegiata jurisdictione splendidae nobilitatis immediatae corpori in ejus officiales, salvo aliter cujuscumque jure territoriali, privative competente.
- 3<sup>a</sup> Felmann, Dr. Christ. Gottl. : Appendix ad Dissertationem inaug. : De privilegiata jurisdictione nobilitatis immediatae splendidae corpori in ejus

officiales salos alios cujuscunque jure territoriali  
privatim competente . . . continens : responsum  
facult. jur. Gollingensis de eodem argumento.

4. Kaestner, Abraham Gotthelf : Theorema binomiale  
universatiter demonstrat practectionesque suas  
indicat.

5. Mancke, Hermannus : De successione conjugum  
in concursu cum liberis divorti matrimonii  
speciatim jure Hamburgensi.

6. Puetter, Joannus Stephanus, Ord. jur. Prodecano :  
Peridom Frederici Anselmi et Hermannus  
Mancke . . . solennis inauguralis indicis pre-  
missa commentatione de jure et officio  
summarum imperii tribunalium circa interpre-  
tationem privilegiorum Caesarorum.

7. Puetter, Francus Stephanus, Ord. juris et iuridicorum : .

Fr. Christ. Gotthard. Feldmanni et Georgii Wilhelmii  
Stoelii solennia inauguralia in dicitur praemissa  
commentatione de jure et officio iudicis circa  
interpretationem privilegiorum tum in genere, tum  
speciatim in territoriis Germaniae.

8. Puetterus, Francus Stephanus: De jure et officio summorum  
imperii tribunaliurum circa interpretationem legum  
imperii

9. Licher, Jacobus Guiljelmus : . . . An ex confirmatione  
hypothecae iudex et id quod interest teneatur.

10<sup>a</sup> Zwielerlein, Christianus Jac. de: De litteris requisi-  
toribus ex usu Romanorum antiquiori et  
recentiori.

10<sup>b</sup> Zwielerlein, Christianus Jac. de: De litteris requisi-  
toribus ex usu Germanorum antiquiori et recentiori

1759

1. Agreus, Georgius Henricus, Ord. jur. professoris  
ad Berthardi Habernikell solennia inauguralia  
[invitat] prolocutio de vario et mutabili tractatu  
juris civilis gustu.
2. Gatterer, Joannes Christophorus: Dissertatio historica,  
: de Ludovico III infante Germaniae rege impube  
qua simul orationem auspiciandi causa . . . de  
Dum rite indicit
3. Habernikell, Berthardus: De methodo juris privati  
quo per Germaniam utimur.
4. Lutterloh, Joannes Otto: De statutis collegiorum  
episcoporum eorumque usu et abusu specialim jure  
Hamburgensi
5. Putterus, Joannes Stephanus: De querelae nullitatis  
et appellationis conjunctione



1759,

3 6. Puetter, Franc. Stephan: Ord. juris d'ei prodecano:

alia Petri Sinner et Franc. Ottonis Lutterloh solennia  
modi inauguralia in d'ci' praemissa theoria generali  
de nullitate.

ca, Sieber, Jacobus Gousses: de conductore fundi spolia-  
pabe fore dissonit simulque praedictiones per hiemem  
des habendas in d'ci'.

ivati

am

are

ctate









14  
F. 8. num. 20.

1758, 2 2


ORDINIS IVRIDICI  
PRODECANVS  
GEORGIVS LVDOVICVS  
BOEHMER D.

VIRI GENEROSISSIMI  
CHRISTIANI IACOBI DE ZWIERLEIN  
WETZLARIENSIS

SOLENNIA INAVGVRALIA

INDICIT

PRAEMISSA OBSERVATIONE  
DE CESSIONE HYPOTHECAE FEVDALIS  
ABSQVE DOMINI CONSENSV VALIDA



—————  
GOTTINGAE c<sup>h</sup>o IcccLVIII.



I.

Quamquam extra dubium positum sit, hypothecam a vasallo non nisi interueniente Domini directi consensu in feudo legitime constitui: magis tamen haec quaestio disputata est, vtrum eiusdem consensus ad hypothecae feudalis cessionem desideretur, vt cessionarius eisdem, quibus cedens, iuribus commodisque fruatur. Quod argumentum in iure feudali Longobardico neglectum praetermissumque, exercuit interpretes in eo occupatos, vt quod ei deesset, ex eius analogia supplerent. Alii hypothecae feudalis cessionem *sine domini consensu* valere a) alii eam *ex eo* demum vim omnem fortiri existimauerunt b). *Posterior* sententia maxime in Saxonia defensa est; eaque, vt ibi solent non sine magno commodo quaestiones in foro disputatae decisione publica definiri, iam superiori seculo constitutione Electoris Ioannis Georgii de d.

a) LVDOLPH. SCHRADER *in tr. feud. Part. VII. c. 2. n. 26. 27. 28. 29. 30.*

b) MARINVS FRECCIA, *Patricius Neapolitanus, in commentariis feudalibus lib. 2. p. 192.* ANDR. RAVCHBAR *quaest. iur. civil. 85 Sax. qu. 6. n. 29. 30.* PETR. HEIGIUS *quaest. iur. Part. II. qu. 5. n. 24.*

d. 1. Febr. 1614 approbata est: und obwohl die Rechts-Lehrer über die Frage: Ob ein Unterpfind, so mit des Lehnherrn consens auf ein Lehn gut verschrieben, einem andern, ohne anderweit neuen consens cediret werden koenne, zweifelhaftiger Meinung, so lassen wir uns doch derer Opinion, so je und alle Wege an vnsern Hofe bishero gehalten, auch darnach in vorfallenden Sachen sententioniret und erkant, gefallen, die den neuen consens vor noethig erachten, und soll sowol in praeteritis als futuris negotiis keine dergleichen cession ohne des Lehnsherrn neue Einwilligung, unangesehen der Verschreibung und darüber zu Anfang ausgewürckten consens die clausul, von jeden getreuen Inhabern, einverleibet, vor kraeftig erkennen werden. Idem repetitum in Ord. recogn. proc. Sax tit. XLVI. §. 7. cautumque, vt etiamsi dominus, consensu in hypothecam interposito, simul in feudi alienationem consenserit, vel etiam instrumento, super consensu condito, clausulam von jedem getreuen Inhaber, inseri permiserit; hypotheca tamen sine nouo domini consensu efficaciter cedi nequeat. Quae quamquam ad ius particulare Saxonicum pertineant: multi tamen ex iuris Saxonici commentatoribus eandem sententiam ex iure communi tuendam censuerunt c), cum contra rectius & ex iuris feudalis

com.  
c) CARPZOVIVS resp. iur. lib. V. resp. 36. & de Onerib. vassall. feud. dec. II. pos. 7. BERLICH P. II. concl. 29. n. 31. IO. BALTH. WERNHERVS in emuc. fori bod. P. I. en. 127. CHRIST. PHIL. RICHTERVS de iur. & priuil. credit. c. IV. sect. II. n. 160.



communis analogia sensisse videantur, qui cessionem hypothecae feudalis sine nouo domini consensu validam esse existimant; d) quod breuiter exponere propositum est.

II.

Hypotheca feudalis, de cuius cessione quaeritur, tamquam *ius allodiale*, creditori in feudo acquisitum, aestimandum est. Si enim quidquid a nexu feudali liberum & immune est, pro allodio habetur: dubitari certe nequit, quin hypotheca in feudo creditori in securitatem crediti a vasallo ex domini consensu constituta, allodii iure censenda sit, cum creditor nullam suscipiat ad fidelitatem obligationem neque erga vasallum hypothecam constituentem neque erga dominum in eandem consentientem. Quod vero cuiuslibet competit liberum de iure suo allodiali disponendi idque in alterum transferendi arbitrium, e) nisi vel lege vel conuentione restrictum sit, idem & creditori in iure hypothecae feudalis tribuendum est. Neque enim dubium est, quin hypotheca eorum iurium numero sit, quae libere ceduntur: cum ad iura realia pertineat & ad heredes transmittatur. Nec incognitae sunt leges, quibus creditori ius datur pignus *pignori dandi*, f) ideoque & ius pigno-

d) SCHRADER l. c. STRYK *de caut. contr. Sect. II. cap. IV. §. 10.*  
 DAV. MEVIUS P. VII. de 31. & Part. VIII. dec. 384, AVG. LEY:  
 SERVS in med. ad Pand. sp. 332. m. 4.

e) L. 21. C. Mandat.


f) L. 1. 2. C. Si pignus pign. dat.

pignoris & hypothecae alteri cedendi. Si ergo liberum ius creditoris, hypothecam feudalem cedendi, rationibus iuris allodialis innitur; id ipsi recte vindicatur, cum hypotheca, tamquam ius allodiale, ex huius iuris principiis recte aestimetur.

### III.

Atque hoc argumento in cessione hypothecae feudales vel ideo utimur, quod haec neque iure feudali Longobardico neque ex eiusdem rationibus ad consensum domini directi adstricta sit. Primo quidem ipse *defectus sanctionis feudalis* argumento est non contemnendo, ius creditoris eo, quod lege feudali non sit circumscriptum, liberum & tale esse, quale est ex iuris allodialis natura. Deinde deficient iuris feudalis *rationes*. Namque in iuris disciplina hanc formulam sequimur, ut in cuius praecidium actus non vergit, eiusdem consensu opus non fit in actu ineundo. In cessione hypothecae feudalis de solo agitur *iure creditoris* in alterum transferendo; ex quo nec iuribus domini directi nec vasalli quidquam detrahitur, cum cedens & cessionarius habeantur pro eadem persona, & haec illius iure utatur, ideoque perinde sit, siue creditor ipse siue eius cessionarius hypothecam persequatur. Si quod in hypothecae iure extremum est, ius videlicet creditoris, actione reali feudum obligatum persequendi eiusque distractionem petendi consideramus, id quidem  
princi-

principio recte competere constat, cum dominus in hypothecam consentiens vim omnem & effectum hypothecae agnouisse & comprobasse censeatur. Deinde siue ipse creditor siue eius cessionarius vim hypothecae vrgeat, ex eo iuribus Domini praeiudicium nullum imminet, siquidem quamdiu tamquam immixtus creditor feudum tenet, nomine vasalli debitoris, cuius nexus cum domino saluus persistit, feudum possidet, ad rationes de fructibus perceptis & percipiendis obstrictus. Etiam si tandem creditor immixtus de feudo distrahendo contendat; neque hoc loco est, quod domino vllum praeiudicium imminet, cum & tunc cessionarius via iuris in ipso iudicio feudali de feudo distrahendo agat. Quocumque denique modo causa ad feudi obligati alienationem deducatur: tum quidem, siue haec a cedente siue ab eius cessionario petatur, *nouum domini consensum* interuenire necesse est, non quidem ratione ipsius alienationis, a Domino, in hypothecam consentiente, tacite iam comprobatae, quam potius tum ratione noui vasalli, ne ipsi parum acceptus vasallus obtrudatur, tum ratione iuris protimiseos Domino competentis. Deficiunt itaque rationes, nouum Domini consensum in cessionem hypothecae feudalis exigendi, cum ex hac incommodum nullum ad eundem redundet. Quae cum ita sint, facile iudicium est de hisquae obiciunt



HEIGIVS g) & CARPZOVIVS, h) quod nempe multum  
 amini intersit scire ac nosse, quem habiturus sit vasallum vel  
 subditum propter militaria seruitia & industriam certae perso-  
 nae? Quo enim colore vel ipse creditor vel eius cessiona-  
 rius vasallorum numero haberi potest, cum vtrique non  
 nisi pignus, tamquam ius allodiale in feudo constitutum,  
 competat salvo semper nexu inter dominum & vasallum.  
 De nouo vasallo tum demum quaeritur, quando causa  
 ad distractionem feudi obligati redit: cessione hypothecae  
 feudalis vero nouus tantum creditor constituitur. Sed  
 monet tamen ill. MASCOVIVS i), interesse Domini scire,  
 quis creditor sit in feudo. Enimuero si praecidium nullum  
 ex hypothecae feudalis cessione Domino imminet, eius  
 quoque ex iure perfecto non interest, scire, quis credi-  
 tor sit in feudo, & vtrum ipse creditor, cui feudum ob-  
 ligatum est, an eius cessionarius ius hypothecae persequa-  
 tur. Denique nec est, quod quis forte ex eo, quod ces-  
 sio hypothecae facili negotio in potentiozem fieri possit,  
 rationem requirendi Domini consensus repetat. Ma-  
 nifesti enim iuris est, cessionem iurium in potentiores  
 ideoque & cessionem hypothecae in eosdem inuvalidam &  
 sub iactura iuris prohibitam esse. l) Quod adeo verum  
 est,

g) quaeft. iur. P. II. qu. 5. n. 31.

h) in respons. lib. V. resp. 36. n. 9.

i) de iure feud. cap. XII. §. 23.

l) L. 2. C. ne liceat potentiorib. STRYK de potent. cessionar. c. 2.


est, vt nec domini consensus cessione hypothecae feudalis in potentio- rem possit vim conciliare, cum in hac inprimis agatur causa debitoris Vasalli, cui ex persona potentioris cessionarii durior conditio metuenda est.

IV.

Sed praestat & reliqua rationum momenta recensere, quae in contrarium adferuntur pro adstruenda necessitate noui consensus domini in hypothecae feudalis cessionem. Ex vi & potestate legum feudalium, quibus ille in *hypothecae constitutione* requiritur, eundem in *eius cessione* necessarium esse, eandemque ideo ineundae cessionis rationem esse contendunt quae hypothecae feudalis constituendae. Dandum utique est, consensum domini in hypothecae feudalis constitutione desiderari: sed & hoc dandum est, hypothecae feudalis iam rite constitutae cessionem non esse nouam pignoris constitutionem, sed veteris translationem, *m)* ideoque ab illa ad hanc, tamquam ad negotium prorsus diuersum, non procedere argumentationem. Inter vtramque quantum interfit, obuium est perpendenti, hypothecam a vasallo, in cuius bonis feudum est, constitui, & domini consensum non nisi ideo, quod hypotheca ius feudum alienandi tribuat,

in

*m)* In argumentis similibus eodem iure vtimur, vt hypotheca in re ecclesiastica solemniter constituta, sine noua solemnitate alteri cedi, nec non hypotheca in bonis minorum cum decreto impetrata in alterum sine nouo possit decreto transferri L. 7. §. 1. de reb. eor. qui sub tut. MEVIUS P. VII. dec. 30. n. 9. SCHRADER tr. feud. P. VII. c. 2. n. 29.



in eius constitutione, perinde ac in omni alia feudi alienatione, desiderari. E contra hypothecca ex domini consensu impetrata ad iura acquisita *creditoris* pertinet, ad iura eius libera & nulli obligationis clientelaris nexui obnoxia. Creditor itaque, hypotheccam cedens, ius suum *allodiale*, in feudo acquisitum, in alterum transfert: eaque cessio ex ea lege iudicari nequit, quae *feudi* alienationem *vasallo* negat.

## V.

Supereft vel praecipuum, quod ex *natura consensu*, a domino in hypotheccam praestiti, repetunt argumentum, qui nouum consensum in hypotheccae cessionem exigunt. Consensum domini in hypotheccam datum *stricti iuris esse* existimant, eumque ad *personam creditoris* adstrictum, nec ideo ultra personam, cui datur, extendendum. n) Nulla huic argumento vis inest, nisi consensum domini ad personam creditoris restrictum esse, ex facto sumamus. Est utique in Domini voluntate positum, utrum *consensum* in hypotheccam feudalem *impertiri*, an *negare* eundem, & *qua lege* praestare malit; ideoque non minus eiusdem arbitrii est, utrum consensum ad *personam creditoris* adstringere velit, uti eundem solet saepissime *certo tempore* circumscribere. De qua mente domini si ex interpositi consensu *perspicua significatione* constat; certum utique est, hypotheccam

n) CARPZOVIVS *l. c. n. 6.* BERLICHIVS *l. c. ill.* MASCOVIVS *l. c.*

thecam ad personam creditoris esse adstrictam eidemque facultatem eam cedendi ademptam, eiusque cessionem non nisi ab impetrato nouo domini consensu vim consequi. Enimuero ubi id *diserte* actum non est, sed consensus domini in hypothecam in feudo constitutam simpliciter interpositus; iure negamus, eum *interpretatione* ad personam creditoris esse restringendum. Interpositum enim domini consensum talem accipere necesse est, qualis ex *natura negotii* & secundum *ius feudale* esse debet o). Et iure quidem feudali consensus domini in *hypothecam* in feudo constituendam, non vero in *personam creditoris* exigatur: quod adeo verum est, ut eundem generatim praestitum esse sufficiat ad hypothecam cuiusque constituendam. Id modo cauetur II. F. 55. ut nulli liceat feudum oppignorare *sine permissione illius domini ad quem feudum spectare dignoscitur*. Idem ex natura negotii intelligitur, cum consensus domini in hypothecam feudalem ideo exigatur, ut iure liceat feudum obligare, in eoque ius in re constituere. p) Si itaque consensus domini

o) HART. PISTOR *quaest. iur. lib. I. qu. 15. n. 44. 45.*

p) Alia est ratio consensus in *alienationem feudi* dati, quem dominus non modo in *ipsam alienationem* sed & in personam *noui futuri vassalli* impertitur, cum ei inuito nouus vassallus obrudi nequeat: quae rationes omnes in consensu in hypothecam feudalem deficiunt, cum creditor in feudo numero vassallorum non sit. Et recte eam in rem obseruat MEYER P. VIII. dec. 284. n. 4. dominum quando oppignorationi feudi consensum addit, non hoc cogitare, nec hoc intendere, ut saltem ei, cuius nomen exprimitur, illud sit oppignoratum, sed ut pro credito contracto obnoxium sit.

domini tum ex iure feudali tum ex natura negotii *in rem* seu *in hypothecam* exigitur, vera & iusta est interpretatio, qua eundem in hypothecam interpositum accipimus, nec ad personam creditoris adstringimus. Quod instrumento, super consensu confecto, *creditoris*, cui hypotheca tribuitur, mentio iniiciatur, argumentum non est consensus ad *eius personam* adstricti. Cum hypotheca non sit, nisi & sit persona cui constituitur, creditoris mentio pertinet ad significandum, cui hypotheca sit constituta. Et dudum monuit Paulus r) *plerumque personam pacto inseri, non ut personale pactum fiat, sed ut demonstretur, cum quo pactum factum sit.*

## VI.

Ceterum quod in potestate Domini positum esse observauimus, quod consensum in hypothecam feudalem ad creditoris personam adstringere possit; idem pro iure perpetuo sancire, & consensui in hypothecam feudalem hanc restrictam vim tribuere potest, ne personam creditoris eiusue heredes egrediatur. Huic rationi innititur ius particulare in Saxonia constitutum, quod hypothecae feudalis cessionem non nisi ex nouo domini consensu valide suscipiendam ideo praecipit, quod consensus domini in hypothecam feudalem interpositus ad personam creditoris adstrictus esse accipiatur idque ex ipsius iuris Saxonici dispositione. Hanc rationem exprimit Constitutio Saxonica in *Ordinat.*

r) in L. 7. §. 8. D. de Pactis.

*recognit.*



recognit. Proc. tit. XLVI. §. 7. noch der Consens, welchen der Lehn-Herr einem gegeben, auf eine andere Person, ohne Sein des Domini feudi Bewilligung extendiret werden möge, und es deswegen in unserer Cantzeley auch jederzeit also üblichen gehalten worden. dass solche translationes hypothecarum, ohne neuen Consens für beständig nicht gehalten werden. Ex his simul intelliguntur rationes iuris feudalis communis & iuris particularis Saxonici in eodem argumento diuersi: s) quod iure communi consensus domini in hypothecam interpositus non possit non pro consensu in rem dato haberi, nec ideo creditori negari ius hypothecam alteri libere cedendi: cum contra iure Saxonico domini consensus ad personam creditoris eiusue heredum adstrictus accipiatur, eique adeo ademta censeatur facultas hypothecam feudalem absque nouo domini consensu cedendi.

VII.

Quae cum ita sint, omnis cessio hypothecae feudalis absque nouo Domini directi consensu iure feudali communi valida & efficax est: t) eaque propter quae in diuisione heredi-

s) Iuris Saxonici constitutionem explicat IO. HENR. BERGERVS in elect. discept. for. tit. XLVI. obs. 6. p. 166. & QVINT. FLOR. SEPT. RIVINVS in enunc. iur. ad Ord. Proc. Sax. tit. XLVI. en. 13. 14.

t) Atque haec sententia vsu fori probatur, de quo vid. MEVIUS P. VII. dec. 311. P. VIII. dec. 284. STRYK de Cant. Cont. Sect. II. c. 4. §. 10. SCHRADER l. c. P. VII. c. II. n. 26. sq. HORN in iur. rigr.



hereditatis inter *coheredes* interueniunt nominum eisque annexarum hypothecarum feudalium cessiones, vel quae *legatariis* fiunt & *fideicommissariis*, absque nouo Domini consensu consistunt *u*). Quae iura creditori cedenti vi hypothecae competunt, eadem transeunt in cessionarium, ideoque hic actione hypothecaria experiri, & hypothecam feudalem in *concurso creditorum* persequi, & vt sibi secundum praerogatiuam hypothecae satis fiat, exigere potest. Neque cessio hypothecae feudalis, *Domini consensu* munita, in concurso creditorum potius ius tribuit prae hypotheca feudali anteriori rite constituta & absque domini consensu cessa: namque cessionarius iure fungitur cedentis, cui est hypotheca feudalis consensu domini & agnatorum *legitime* constituta, ex nouo vero *domini consensu* in hypothecam *cessionem* interueniente potius & praecipuum ius non descendit. Ceterum nec *plus iuris* consequitur cessionarium, quam quod fuit cedentis; ideoque si, quod fere fieri solet, consensus domini in hypothecam feudalem ad *certum tempus* adstrictus est, hoc elapso, nisi actione hypothecaria expertus sit, ius hypothecae extinguitur. Tum ergo

*vi pr. feud. cap. XIX. §. 9. LENTZ de cess. nominum & act. cap. 26. membr. 2. n. 29. PETR. TORNOVIUS de feud. Meclenb. P. II. c. 4. §. 17. IO. BR. ENGELBRECHT in intr. ad not. feud. Pomer. c. X. §. 15. B. PARENS in diss. de hypoteca feudali c. II. §. 13. LEYSER Spec. 232. n. 6.*

*s)* Iure Saxonico nouus consensus domini in his cessionum exemplis desideratur vid. BERGERVS in *elect. disc. for.* p. 1616.

ergo cessionarius sibi prospicere, & consensus renouationem a domino petere debet, nisi discrimen amittendae hypothecae subire malit: in cuius rei illustrationem recensere iuuabit, quae habet *Constitutio Marchica FRIDERICI I. Borussiae Regis de a. 1700. §. 28.* 2) Wenn auch eine consentirte Post per cessionem auf einem andern transferiret wurde, soll der Cessionarius eber nicht, bis die dem Cedenti in consensu bestimte Zeit der hypothec in feudo verfloßen seyn wird, als bis dahin dergleichen von Uns ertheilte Consense in vigore bleiben, renouationem des ihm cedirten Consensus zu suchen verbunden seyn, weil unstreitigen Rechtens ist, quod consensus ius reale tribuat, & cedens omnia iura sua in cessionarium transferat.

Sed hic filum abrumpo, cum verba facienda sint de *Candidato dignissimo*, in cuius honorem haec praefatus sum.

Est is

VIR GENEROSISSIMVS


CHRIST. IACOBVS DE ZWIERLEIN

WETZLARIENSIS

quem ipsum de natalibus suis totaque vitae studiorumque laudatissimorum ratione exponentem iuuabit audire.

**N**atus sum *Wetzlariae anno 1697. pridie nonar. Decembris, patre IOANNE IACOBO de ZWIERLEIN, potentissimo magnae*

1) in ill. CHRIST. OTTONIS MYLII *Corpore Constitutionum Marchicar. P. II. Sect. I. p. 247.*



gnae Britanniae Regi a consiliis aulae, atque Camerae imperialis aduocato & procuratore, matre autem ELISABETHA FRIDERICA DOROTHEA de WAHL. Hi quidem optimi parentes, quum maximum educationis meae habuerint curam, a primis statim iuuentutis meae annis, priuatis me praeceptoribus commiserunt, donec me tandem anno 1704. scholae publicae mandarent, ut ibi, praeeunte Clarissimo KEMPFERO, optime de me merito, non pietatis modo regulis, ac religionis principijs, sed & omnibus reliquis scientijs imbuerer, quibus aetas erudiri solet.

Adolescens factus anno 1705. e schola dimissus sum, atque priuatis iterum auspicijs, elementa theologiae dogmaticae, venerabili FVNCCKIO, & matheos purae atque adplicatae, celeberrimo STEINIO, docentibus, hausi.

His instructus calendis Aprilis a. 1706. in Academiam Gissensem, cuius ciuium numero iam a. 1700. excellentissimo AHLEFELDIO fascis tenente, adscriptus eram, me contuli. Hic, summe venerabilem BENNERVM, qui non doctrina solum sua mihi profuit, sed & adeo multis me beneficijs adauxit, ut nesciam doctrinis eius an innumeris alijs, quibus me ornauit beneficijs magis debeam, theologiae moralis principia mirabili quadam facundia & perspicuitate docentem, audiui, eiusdemque etiam praeceptis in addiscendis stili cultioris fundamentis, usus sum. Praeterea quoque non sine magna animi voluptate, illustri TENICHHI praelectionibus interfui, quem siuiri, quum

quum sacratissimi imperatoris, totius legitimae scientiae prima elementa, incredibili eloquentia interpretaretur, atque artis disputatoriae secreta traderet, mibique tandem de excusationibus tutorum & curatorum disputanti praesideret, grauissimum doctorem, ita re, factoque & consiliis summum fautorem expertus sum. Denique etiam illustris KOCHII, nimis maturo fato erepti, & excellentissimi BOEHMII nec non celeberrimi LEVNII scholas frequentavi, & exacto in Academia Gissensi biennio, Georgiae Augustae fama commotus a. d. 1685. Goettingam adii, cuius ciuitate me illustris RICHTERVS academiarum pro Rectore administrans, donauit.

In his felicissimis musarum castris, historiae latifundia mihi aperuerunt, viri nominis splendore illustres atque excellentissimi, GEBAVERVS magnus Iurisprudentiae stator, SCHMAVSSIVS iam ad coelites euectus, & PVTTERVS quem venerabilem doctrina, amabilem facit generosa prorsus humanitas, cuiusque insignia in me collata beneficia nec longissimus unquam temporum decursus mihimet extorquebit. Summa porro cum pietate recordor illustrem GESNERVM immortale germaniae decus, cuius omnimodam venerationem semper in insigni religionis parte collocabo, antiquitatum mihi romanarum praecepta tradidisse, excellentissimumque ACHENWALLIVM, mihi, praecipuarum europae reipublicarum notitiam addiscendi, facem pauerulisse.

In ipsa autem iuris disciplina doctoribus usus sum, viris, illustri ac peruagata gloria inclitis, AYRERO quem semper  
amabi-

*amabilem expertus sum fautorem, BOEHMERO, magni patris magno filio, cuius fidelissimam doctissimamque institutionem, & reliqua, quibus me quam ornatissimum esse voluit, beneficia nunquam non gratissima mente recolam, PUTTERO, splendido Georgiae Augustae ornamento, MEISTERO insigni doctrina sua illustri, & generosissimo de SELCHOW patrono meo exoptatissimo. Denique modum in iudicio procedendi praeuentibus illustri PUTTERO, atque consultissimo iuriumque peritissimo CLAPROTHIO, quorum semper mihi memoria sacra erit, didici.*

*Ita studiis legitime absolutis honores iuris ambii, ab Illustri Iureconsultorum ordine nunc impetrandos.*

Annus iam abiit, quo GENEROSISSIMVS CANDIDATVS solennia Ordinis nostri examina cum laude sustinuit, egregiisque studiorum suorum profectibus toto examinis tenore expositis, honorificum Ordinis nostri iudicium tulit, quo ipsi summi in legitima scientia honores unanimes sententia decreti sunt. Sed de ampliandis literarum studiis sollicitus GENEROSISSIMVS CANDIDATVS, toto abhinc tempore nihil reliqui fecit eorum, quae ad augenda ornandaque iuris privati & publici studia pertinere videbantur, animumque omnem operamque & vigilias conuertit ad conscribendam duplicem dissertationem, alteram inauguralem ab eo sine Praefide defendendam, alteramque non minus solennem se Praefide summis-

summisque in utroque iure honoribus iam ornato habendam, exemplo omnino laudatissimo, quod ipsi perhonorificum contingit. Nihil ergo superest, quam ut futuro decimo quarto huius mensis die lectione cursoria *Legem I. C. ubi de criminibus* interpretetur, & dissertationem inauguralem de *litteris requisitorialis ex usu Romanorum antiquiori & recentiori* sine Praefide publice defendat: quo facto decreti honores eidem a me ex merito conferentur. Istam Panegyrim ut **PRORECTOR ACADEMIAE MAGNIFICVS CVM SENATV, ILLVSTRISSIMVS S. R. I. COMES, ILLVSTRES GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE ACADEMIAE CIVES, HOSPITES ET FACTORES** sua praesentia condecorare haud grauentur, quanta possum obseruantia diligentiaque rogo atque contendo P. P. Gottingae **MDCCCLVIII** die **XIII** mensis Aprilis,



112

XIV  
[Illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]





10.18


ULB Halle 3  
001 549 545



sb







19

F. 8. num. 20.

1758, 2 2

ORDINIS IURIDICI  
PRODECANVS  
GEORGIVS LVDOVICVS  
BOEHMER D.

9. 986

VIRI GENEROSISSIMI  
CHRISTIANI IACOBI DE ZWIERLEIN

WETZLARIENSIS

SOLENNIA INAUGVRALIA

INDICIT

PRAEMISSA OBSERVATIONE  
DE CESSIONE HYPOTHECAE FEVDALIS  
ABSQVE DOMINI CONSENSV VALIDA



GOTTINGAE c<sup>o</sup> Idcc LVIII.

